

ut patet Tob. 3.

Si dicas. Sequitur ergo q̄ in hoc facto data est occasio cōiūni populo credendi beatam virginem fuisse cognitam a Ioseph anteq̄ sollemniter celebratae sunt nuptiæ, & ita Christū esse filium Ioseph, quod est erroris occasio. Respondet Amb. super Luc. dicens. Maluit dñs aliquos de ortu suo quam de matris pudore dubitare, & hoc ex charitate ad matrem. Ideo subdit, sciebat enim tenerā esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem matris iniurijs astruendam: Hæc Ambro.

Ambro.

An autem, postea fecerint solennem celebrationem nuptiarum: Cæcilius Parisiense Iohannes Gerson in sermone, quem fecit in Concilio Constantien. de natiuitate Mariæ dicit, q̄ omnia est solennizatio celebris tam venerabilis coniugij, ne ibi suspicaretur amplius carnale quid.

Tertia ratio principalis accipitur ex charitate Dei ad humani generis salutem. Et primo, vt hoc sacramentum sub desponsationis velamine diabolo celaretur, ne si diabolus huiusmodi mysterium cognouisset, fraudulenta nouimenta procurasset, vt salutem hominum impediret &c. sicut dicit Origenes. Secundo, ut sic testimonio ipsius Ioseph fides castitatis Mariæ ad salutem hominum certificaretur: Non enim talis vir iustus fouisset virginē Mariam, & filium eius nutricio more, nisi nouisset sacramētum diuinum. Tertio, vt per desponsationem uirginis significaretur totius orbis significatur: Vnde Chrys. super Mat. dicit. Ideo Ioseph fabricario Maria desponsata fuit, quoniam inquit, sponsus ecclesiæ Christus. fabricator totius orbis osum salutem hominum operaturus erat per lignum crucis. Quarto per uirginis Mariæ desponsationem ostendere voluit Deus, q̄ ex charitate amat homines ad salutem non solum in statu uirginitatis existētes, sed etiam matrimonialia, & uidua ergo &c.

§. 12  
Pulcher  
tima 90.

SED questio restat hic: Qualiter uirgo beata potuit desponsari manente proposito uirginitatis uoto obligato? Cum

enim dicat August. quod uirginitatem uouentibus non solum nubere, sed etiam uelle nubere damnable est, sed beata uirgo iam ante conceptionem uouerat uirginitatem, sicut probat idem August. lib. de sancta uirginitate ex eo q̄ dixit ad angelum: Quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco? quod profecto non dixisset nisi se virginem ante uouisset, sequitur ergo quod nō potuit legitime contrahere sponsalia matrimonij, quia fecisset contra uotum uirginitatis. Item confirmatur, quia in ista desponsatione beata uirgo aut consensit in carnale copulam, & sic peccauit contra uotum, ut iam dictum est, aut non consensit in illam, & sic nullum fuit matrimonium: Si dicas q̄ contraxit cum adiecta conditione, dicendo: Contraho tecum sub hac conditione, vt me non cognoscas: Contra. Talis conditio est contra bonum matrimonij & contra eius substantiam, sed conditio quæ est contra substantiam matrimonij, adiecta impedit ueritatem matrimonij, ueluti si dicas: Contraho tecum si generationem proles euites & huiusmodi, secundum theologos, & canonistas extra de condi. appo. c. vlt. & 22. quest. 3. Inter cætera, ac pluribus locis, ergo inter Ioseph & Mariam non fuit matrimonium, nec desponsatio uera sub conditione &c. Respondetur secundum Alber. super Missus est. cap. 40. ac Thom. & communiter doc. super 4. dist. 30. Duplex est perfectio matrimonij: Vna quantum ad esse, & quo ad hoc sufficit consensus uerbis de presenti expressus, quia ut Augustinus dicit matrimonium nō facit copula carnalis, sed magis pactio coniugalis: Isto modo ergo inter Ioseph & Mariam fuit perfectum matrimonium pari uoto continentie. Alia est perfectio quantum ad carnalis copulæ actum, uel operationem, & isto modo non fuit ibi perfectum matrimonium, potuit tamen talis desponsatio inter Mariam & Ioseph fieri manente proposito, & uoto continentie: quia poterat consentire in maritalem societatem, non in carnalem copulam absolute, facta tñ diuinitus inspiratione certifica utrique de altero, quod uellet uirgo permanere. Vnde ubi Augustinus, uel aliquis sancto-

Thom.

Perfe-  
ctio ma-  
rimonij  
duplex.